



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,  
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,  
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non  
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lugduni, 1652-1663**

13. De Adoratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

## 21. Theologia Moralís Lib. XXVIII.

tur Pontifici inferuere, qui sunt eius Capellani, Camerarii, Secretarii, ac reliqui si niles officiales. Et qui itandato ipsius in Curia commorantur, vel quibus expeditio alicuius negotij in vrbe, aut extra vrbem committitur. Bonac. *ibid.* Porro ex privilegio etiam distributiones quotidianæ conceduntur Auditoribus Rotæ ex Bulla Clementis VIII. Inquisitoribus, & Fiscalibus hæreticæ prauitatis ex Paulo III. & Pio V. Collectoribus generalibus Cameræ Apostolicæ, subcollectoribus, Adnecatis, Procuratoribus, Fiscalibus, & Notariis in causa spoliatorum & iurium Cameræ, eorū officio durante ex Bulla Sixti V. Barbo. p. 3. de potest. Episc. alleg. 53. n. 155. 156. 165. 157. Palau. p. 1. d. 3. punct. 9. §. 8. q. n. 1.

129

Docentes aut  
studios Theo-  
logiam, aut  
ius Canonici  
in celebri v-  
niuersitate  
fructus perci-  
piunt, n. n. di-  
tributiones.

Docentes Theologiam, seu ius Canonicum in studio generali, seu celebri vniuersitate, & ibi studentes fructus lucrantur. c. fin. de Magist. r. s. Debet autē docere ex vniuersitatis, seu Claustrii licentia; & etiam absque stipendio, & Cathedra legant, pro presentibus habentur, quoad fructuum perceptionem. Quia in privilegiis ab Eugenio IV. concessis Salmanticensi Academia, quæ iam sunt Complutensi, ac Vallisoletana communicata, solum expostulatur publice in scholis docere. Quoad studentes autem monerim, debere eos maiori anni parte in Vniuersitate commorari, ibique diligenter studere ius Canonicum, aut Theologiam. Probabile est autem consequi fructus, etiam si ius civile ediscant. Quia c. l. de fraternitatis, de cler. non resid. nulla est facta limitatio. Excipe, nisi sit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpositus, Cantor, vel personatum habens: quia his studium iuris civilis, & medicina sub pœna excommunicationis est prohibitum c. fin. ne clerici, vel Monach. Moneta p. 2. de distrib. q. 10. n. 19. 21. Barbo. p. 3. de potest. Episc. allegat. 26. n. 24. 15. & 2. Profecto hi tam docentes, quam studentes distributiones non lucrantur. Quia ita habetur c. licet, de preben. & in constitut. Eugeniana Salmanticæ Vniuersitati concessa, Garcia p. 3. c. 2. n. 113. Bonac. d. 2. de hor. can. q. 5. punct. 3. §. 2.

130


Pontifici pri-  
uilegio potest  
quis à choro  
abesse, & fru-  
distributiones la-  
crari.

Profecto Pontificis privilegio potest quis à choro abesse. Quia cum chori assistentia iure humano sit inducta poterit Pontifex in ea dispensare ex causa iusta, vt tam fructus, quam distributiones percipiat. Si autem ea causa legitima absit, dubito, an valeat quoad distributiones dispensatio. Quia hæc à fidelibus relinquuntur diuino Officio interessentibus. At fidelium voluntates haud potest Pontifex absque iusta causa mutare; non enim est illorum bonorum dominus, sed dispensator. Nullus verò præter Pontificem potest hoc privilegium concedere. Quia inferior nequit in superioris lege dispensare. Porro si concessum est privilegium percipiendi fructus in absentia, non poterit quis ex vi illius indulti distributiones quotidianas percipere. Quia sub nomine fructus comprehenduntur illa, quæ ratione Beneficij beneficiato competunt: at distributiones non tam ratione Beneficij, quam personalis seruitij, & laboris mercedis beneficiato competunt. Gonzalez Reg. 8. Cancel. §. 7. proœm. n. 175. Bonac. d. 2. q. 5. punct. 4. n. 4. Carol. Macig. de hor. can. c. 81. n. 130. Indultum verò de percipiendis distributionibus extendendum non est ad illas, quæ inter presentes diuiduntur, quales neque infirmi, neque

alia legitima causa impediti lucrantur, quæ ob mortuaria, vel anniuersaria conceduntur. Quia hæc non sunt quotidianæ distributiones, cum non quotidie, sed aliquibus determinatis diebus conferantur non ex Beneficio, sed ex testatorum voluntate. Gonzal. *ibid.* num. 177. & 206. Bonac. d. 2. q. 5. punct. 4. n. 6. Ricci. decis. 494. num. 8.

Priuegium à iure concessum Canonicis, ac præbendis, vt possint tribus mensibus in anno recreationis gratia abesse non requirit aliam causam, præter leuamē à residentia obligationem. Vnde huius privilegij vi potest Canonicus gratia præstare, à choro abesse nonaginta dies siue continuos, siue discretos. Declarauit autem sacra Congregatio non posse confici ex horis, quibus Canonici residentes abint à choro dies, ex diebus, & horis sic collectis mensēs, absentia, de quibus in hoc decreto, vt autem possit hoc privilegium frui, solum requiritur, quod teneatur per integrum annū diuini interesse, & possit distributiones lucrari. Quia Concilium sess. 24. c. 12, hoc privilegium concedit Ecclesiis, quæ ingro anno residentiam expostulant. Garcia p. 3. c. 2. n. 312. Vnde si Canonicus concessione Canonici accipiat in medio anni, non poterit tribus mensibus illo anno abesse, sed solum vno mense cū dimidio. Bonac. d. 2. q. 5. punct. 4. n. 9. Quod si anno integro, vel maiori illius parte Canonicus abfuerit absque causa legitima, non ideo ipso iure amittit privilegium pro illis tribus mensibus concessum. Quia non datur hoc privilegium iis, qui actu resident, sed obligatis ad residendum. Bonac. *ibid.* n. 22. Denique moneo, hoc privilegium solummodo extendi ad lucrandos fructus, non distributiones. Quia c. amico de cler. non resid. in 6. quotidianæ distributiones solum conceduntur, si infirmitas, necessitas corporalis, aut euidens Ecclesiæ vtilitas intercesserit. Barbo. p. 3. de potest. Episc. alleg. 53. n. 124. Garcia p. 3. c. 2. n. 149.

Profecto si tibi donentur distributiones amissæ ab iis Canonicis, qui illas possident, poteris illas licite, & valide retinere. Quia Concilium à Censuris non prohibuit donationem propriam, sed remissionem, vel collusionem. Nauar. de orat. miscel. m. 14. res. 1. 59. n. 4. Bonac. d. 2. de hor. can. q. 5. punct. 7. §. 2. Suarez. 10. 2. de Relig. l. 4. c. 30. n. 17.



### CAPVT XIII.

#### De Adoratione.

**N**OMEN adorationis commune est cultui exhibito Deo, Angelis & hominibus licet enim Mat. 4. pro cultu tantū Deo exhibito vsurpatur, at Gen. 19. applicatur ad Angelorū cultū: vidit namque Loth duos Angelos, iui eis obuiam, & adorauit. & 3. pag. 1. accipitur adoratio pro reuerētia hominibus facta. Definuit adoratio in genere, vt sit submissio, & recognitio excellentia personæ adorata ex affectu illam sic recognoscendi. Potest ergo Deo, & creaturis fieri. Quia in Deo, & creaturis excellentia digna adoratione reperitur. Si adoratio fiat Deo, erit submissio Deo tāquam Supremo Principi ex infinitè perfecto ex affectu illum sic recognoscendi. At si Angelo vel homini fiat, erit submissio prononens ex recognitione

131

De privilegio  
concesso Ca-  
nonicis, vt re-  
creationis gratia  
abesse possint  
nonaginta dies  
siue continuos  
siue discretos.

132

Si tenentur  
distributiones  
concedi à Censuris  
non prohibuit  
donationem  
propriam, sed  
remissionem,  
vel collusionem.

133

Nomen, &  
diuinitas de-  
adorationis

# Se&I.De Præcepto I.Recept. Sent. 17

tione creatæ excellentiæ. *Conueniunt omnes.*

134  
Ex intentione  
ad adorandum  
ex dignitate  
personæ  
adoratæ  
distinguitur

Ex his constat, adorationem ex intentione adorantis, & ex personæ adoratæ dignitate distingui: & licet personæ adoratæ Deus scilicet, & creaturæ in dignitate, & excellentia analogice tantum conueniant: non inde inferatur, adorationes analogice tantum conuenire. Quia utraque adoratio creata est, & supernaturalis, ac proinde non habent in se, vnde analogicam diuersitatem habeant, sicuti amor Dei & proximi vniocè conueniunt, etsi vnus respiciat in creatam bonitatem, alius creatam. *Suar. to. 1. in d. 5. §. 1. sect. 2.*

135  
Dicitur personæ  
adoratæ  
esse adoratio  
propter

Deinde constat, adorationem esse cultum, honorem, venerationem, & reuerentiā, quam adorans personæ exhibet adoratæ: at non omnis cultus, honor, veneratio, ac reuerentia est adoratio. Quia venerare, colere, & honorare æqualem, & inferiorem potes, non tamen adorare; est enim adoratio actus, quo te alteri submittis, & illius superioritatem recognoscis. *Suar. ibid. sect. 1. principio. Valq. de adorat. d. 1. cap. 1.*

136  
Adoratio virtutibus  
Theologicis  
distinguitur

Denique constat, adorationem à tribus virtutibus Theologicis distingui. Quia est actus virtutis moralis, & quia nō respicit Deū vt propriū obiectū, sed cultum submissū, & venerationē diuinæ excellentiæ. Porro S&I, quia adoratio increatæ excellentiæ, & creatæ omnino differūt, ad earū distinctionē variis nominibus vtūt, & adorationem Dei vocant *Latriam*, adorationem sanctorum *Duliam* appellant, & Virginis Deiparæ adorationem, *Hyperduliam* nominant, quia intra latitudinem creatæ excellentiæ omnium est eminentissima.

137  
Adoratio interior  
est, & exterior

Adoratio est duplex. Vna est interior, quæ per interiores mentis actus videlicet intellectus, & voluntatis exhibetur, quæ maximè ad Deum refertur. Alia est exterior, quæ in exterioribus humilitatis, ac submissionis signis consistit, nempe in genuflexione, humiliactione, prostratione, manuum eleuatione. Certe vera Dei adoratio, omnisque latriæ actus principaliter est in mente, secundario autem in actione externa tanquam signo expressiuo internæ submissionis. Vnde si actus internus desit, quamvis adsit externus, non est vera adoratio, sed fictio adorationis, & irrisio; interna autem adoratio potest sine externa consistere. *Clauis Regia l. 4. c. 3. n. 4. Azor. p. 1. l. 9. c. 4. Laym. l. 4. r. 10. c. 2. m. 3. Filliuc. tr. 2. 3. §. 2.*

138  
Adoratio absolute  
tam, & respectiua

Diuidi potest denuo adoratio in *absolutam*, & *respectiuam*. Absoluta est illa, quæ quis vult rem adorare propter intrinsecam excellentiam quam habet. Respectiua verò ea dicitur, quæ quis adorare vult rem propter aliud, id est, propter excellentiam quæ alicui personæ inest, ad quam talis res habitudinem, vel coniunctionem habet. Absoluta adoratio conuenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis est. Respectiua conuenit rebus ratione carentibus, vt imaginibus, quæ non propter se cultum, ac reuerentiam merentur: sed tamen respectiue quatenus ordinem alicuius representationis habent ad ipsum exemplar, seu prototypum, ita vt totus effectus internæ submissionis ad prototypum referatur, id est, ad eum, cuius est imago. Præterea Deus potest honorari dupliciter, primo in se ipso, secundo in sua imagine. Primo *Esob. & Mend. Theol. Moral. To. IV.*

modo adoratur per se, & ipse est terminus adorationis sine vilo alio. Secundo modo adoratur in alio, seu imago adoratur per aliud, & relatiue, & tunc ipsa imago est terminus adorationis, non quidem perse sed ratione rei representatæ. Ideo in Tridentino *sess. 25.* dicitur, adorare imaginem, idem esse ac Christum adorare. *Filliuc. tr. 2. 3. c. 1. q. 8. Bonac. to. 2. d. 3. q. 1. p. m. n. 4. Laym. l. 4. r. 7. c. n. q. 10. & 11. Valq. l. 2. de adorat. d. 8. c. 3. Valent. to. 4. d. 1. q. 14. p. m. 2. Viguer. institut. c. 5. §. 5. vers. 12.*

139  
Cultu latriæ  
adoranda  
beatissima  
Trinitas

Cultu latriæ adoranda est beatissima Trinitas, & singulæ beatissimæ Trinitatis Personæ, Quia quælibet diuina Persona Deus est, cui debetur supremus cultus. Christus autem quatenus Deus, seu hic homo Christus in diuina, & humana natura subsistens eadem adoratione latriæ adorandus est, quæ tota Trinitas, & singulæ Trinitatis Personæ adorantur. Humanitas verò Christi D. in quantum est Diuinitati vnita latriæ est adoranda ratione hypostasis Verbi Dei, à qua & in qua sustentatur. Si verò humanitas Christi per se, ac præcisè consideretur, præcisè diuini verbi persona qualis nec est, nec vnquā erit: non adoranda esset latriæ adoratione, sed Hyperdulia, tū propter donorum, quibus adornatur, excellentiā, tum quia per se nō habet excellentiā increatā, sed creatam. In praxi tamen Christus D. adorandus est adoratione latriæ, quia ipsius humanitas semper est verbo diuino vnita: nam quod Deus assumpsit, nunquam dimisit. Idem dicendum de sanguine Dominico, & de sacerrimo cadauere in mortis triduo. Quia nec corpus nec sanguis fuere à verbo diuino separata. *D. Tho. 3. p. 2. 5. a. 1. & 2. Sylui. ibid. Valq. in 3. p. d. 6. 9. c. 3. & 4. Filliuc. tr. 2. 3. n. 26. Azor. p. 1. l. 9. c. 5. q. 7. & 8. Suar. 3. p. de incar. d. 5. 3.*

140  
Eucharistia  
adoratione  
latriæ  
veneranda

Eucharistiæ Sacramentū cum verè ac realiter contineat Christi corpus Latriæ adoratione est venerandum. Nec sub conditione adorandum est, si facta est consecratio sed absolute: sufficit enim, adorantem ita affectum esse, vt non adoraret, si panis non esset consecratus. Quia credendum non est, aut ministro defuisse voluntatem consecrandi, aut necessariam Sacramenti formam vel materiam abfuisse, cum oppositum nobis certò non constet. *Caiet. 2. 2. q. 1. a. 3. Valq. 3. p. d. 10. S. c. 12. Rodrig. o. 1. sum. c. 8. n. 1. Filliuc. tr. 2. 3. n. 27. Valent. to. 3. d. 6. q. 1. p. m. 4.* Porro non semper huius adorationis virget præceptum, sed pro temporis opportunitate, cum sit præceptum affirmatiuum. Toties itaque obligat, quoties illius ommissio posset irreuerentia vel contemptus censeri: quod maximè locum habet in sacrificante, & communicante, & Missam audiente, dum post consecrationem Hostia eleuatur, in occurrente in itinere dum honorificè ad infirmos defertur, secluso autem formali contemptu, & scādalo, eiusmodi ommissio ob negligentiam, inaduertentiam, necessitatem, occupationem, vel nullum est peccatum, vel ad summum veniale. *c. Sane, de celebr. Miss. & omnes Doctores.*

141  
Quæ Christi  
præsepe, spongia,  
flagella, corona  
spinea, & alia  
huiusmodi: non  
autem secundum  
se, sed per ordinem  
ad Christū, quocum  
fuere aliquo modo  
coniuncta. Illa verò,  
quæ Christū D. ignominio  
se tetigerunt nefarie,  
& impiè, nullum cultum

Latriæ cultu adorari debent illa, quæ Christum D. re ipsa tetigere, vt Crux, clauis, lancea, præsepe, spongia, flagella, corona spinea, & alia huiusmodi: non autem secundum se, sed per ordinem ad Christū, quocum fuere aliquo modo coniuncta. Illa verò, quæ Christū D. ignominiose se tetigerunt nefarie, & impiè, nullum cultum

B 3 me

merentur, sed potius sunt execranda, qualis est sacrilega manus, quae Dominum a se percussit, & impij Discipuli labia. Quia ut ex contactu Christi res aliqua possit honorari debet sanctitate ipsius aliquo modo participare. D. Tho. 3. p. q. 25. a. 4. Suar. ibi. d. 5. sect. 1. Vafq. d. 100. c. 2. Azor. 10. l. 1. g. c. 5. q. 9. Bonac. 10. 2. d. 1. q. 1. p. m. 3. n. 6. Verum Deipara, Apostoli, Magdalena, alique, qui Christum D. religiose, ac pie tetigerunt, non sunt propterea adoratione latræ colendi. Quia per se possunt adorari, & honor latræ, qui ipsis tribueretur ob Christi contactum, ipsis propter ipsos tribui videretur: cum tamen ipsi non sint huiusmodi adoratione colendi. D. Tho. citat. a. 4. Fillinc. 17. 2. n. 34.

<sup>143</sup> Crux ex qua Christus D. pendit digna est, eo quod eum tetigerit, sed etiam quatenus Crux est, nempe signum & imago Christi cruci suffixi. At verò reliqua Dominicae Passionis instrumenta, solum merentur latræ cultum, quia Christi corpus tetigerunt: quare si in alia materia consistant, cultu latræ coli non debent. Quia non sunt signa, & imagines, quae Christum representent. Vnde hæc est differentia inter Crucem, quæ nunc ex auro, argento, ære, aut ligno conficitur, & alia Passionis instrumenta: quod hæc sunt tantum eorum instrumentorum similitudines, Crux autem ipsius Domini patientis imago. D. Thom. 3. p. q. 15. a. 4. Valent. 10. 4. d. 9. 2. 4. punct. 3. Fillinc. 17. 2. n. 30. Bonac. 10. 2. d. 3. q. 1. p. m. 8. n. 8.

<sup>144</sup> Dulce cultu adorandi sunt S. Angeli, & Beati in cælis regnantes: imò etiam multi homines in terris degentes digni sunt adoratione propter ipsorum sanctitatem & excellentiam Concil. Nicen. 2. a. 6. Trident. sess. 25. & in sacris legimus sæpe honorem fuisse exhibitum sanctis Angelis, & hominibus viventibus, & vita functis propter sanctitatis excellentiam. Attamen quo ad huiusmodi cultum differentiam expono; nam Sancti in Diuorum numerum ab Ecclesia relictis, publico & solemniter nomine Ecclesie sunt adorandi: illi verò, qui nondum Sactorum numero sunt coacti, non possunt publice adorari, illis autem cultus priuatus potest exhiberi non nomine Ecclesie, sed ex peculiari deuotione colentis. c. 1. & 2. de reliquiis, & vener. Sancti. Cultus autem publicus dicitur, non qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesie, & tanquam ab Ecclesia institutus exponitur. Claus. Reg. l. 4. c. 3. n. 10. Fillinc. 17. 2. n. 31. Sanchez sum. l. 2. c. 43. n. 1. & 4. Vafq. 3. p. d. 97. c. 2. Bellarm. l. 1. de Sanctis c. 10. Suar. d. 55. sect. 1. Azor. 10. l. 1. g. c. 8. q. 8.

<sup>145</sup> Vtrum dulce cultu Sactorum qui nondum additi sunt ab Ecclesia Diuorum catalogo, imagines, in nostris domibus depingi, retineri, & adorari permittitur, non vero in Templo, vel in Altari inter aliorum Sactorum imagines reponere cum hoc ad cultum publicum pertineat. Insuper licitum est pedes & manus ipsius sancti exosculari, capillos, aut vestes accipere, siue alij videant, siue non, modo scandalum absit. Præterea licet cuiumque priuato homini in honorem eius nondum canonizati ipso natalis die ab operibus ferilibus abstinere, ac pridie ieiunare, aut ei votum offerre. Quia hæc omnia ad cultum priuatum pertinent. Sanchez l. 2. sum. c. 43. n. 6. & 7.

Bellarm. l. 1. de Sanctis c. 10. Syluest. Reliquia q. 1. Azor. 10. l. 1. g. c. 8. q. 8. Laym. l. 4. 17. 7. c. 5. n. 14. Bonac. 10. 2. d. 1. q. 1. p. m. 2. n. 1.

<sup>146</sup> Non tamen licet Sanctum nondum canonizatum publice in Litaniis, aut diuino Officio inuocare: nec de eo publicum festum instituere, nec publicum ieiunium vel votum: nec publice eius reliquias adorandas proponere, aut templa, altaria eis dicare, neque de eo Missam dicere. Quia publicus hic cultus sancti nondum Sactorum Catalogo adscripti Pontifici reseruatur c. 1. de reliquiis, & venerat. Sancti. Certè Urbanus VIII. in congregatione generali S. Inquisitionis die 4. April. anno 1625. dub. pœna Suspensionis comminatorie aliisque pœnis prohibuit, ne quis imagines eorum qui cum fama sanctitatis, vel Martirii ex hac vita migrarunt proponant cum laureolis, radiis vel splendoribus, aut libros continentes gesta, miracula, reuelationes, vel beneficia tanquam ipsorum intercessionibus obtemperata publice, aut tabellas seu imagines fictas, pictas vel sculptas appendat, aut lampades, seu lumina ad ipsorum sepulchra sine debita facultate accendat.

<sup>147</sup> De fide est, Sacrarum Imaginum vsum licitum esse, si prudenter fiat. Trid. sess. 25. Prudenter si fiat suppositi. Nam in adoratione imaginis non tantum illud cuius est imago adoratur, sed etiam ipsamet imago: cum illud proprie adoratur, quod est terminus adorationis, seu materia circa quam adoratio versatur: tamen hæc adoratio non est absoluta, sed respectiva. Quia imago non colitur propter excellentiam propriam, quæ caret; sed, propter excellentiam illius, cuius est imago. D. Tho. 3. p. q. 5. a. 3. & 5. Laym. l. 1. 17. 7. c. 5. n. 10. Suar. 3. p. 10. l. d. 54. sect. 4. Valent. 10. 3. d. 6. q. 11. Claus. Reg. l. 4. c. 3. n. 11. & alij. Dei, & Angelorum, qui sunt puri Spiritus imagines licite omnino sunt, Fide asserente. Quia licet imagines adhiberi non possunt ad representandum Deum, ut in se est, secundum propriam similitudinem, nec Angelos: possunt tamē Deus, & Angeli per quandam metaphoram, vel ut alijs apparere, manifestari. Vnde non damnatur imago, quia Pater celestis senex depingitur, & Spiritus Sanctus in columbæ specie. Depingitur ergo Deus in forma sensibili, non quod constet coloribus, sed quod in ea figura visus sit. Pinguntur etiam Angeli humana specie. Quia in hac forma se videndos exhibere. Finguntur autem iuuenes, aut pueruli, ut eorum vita perpetua exprimitur quæ sæper virescens obicitur. Alæ autem eis apponuntur, quod sint Dei, à quo immituntur, perniciosissimi nunciij. Vafq. 3. p. quest. 25. art. 3. d. 103. Sylui. ibi quæ sit. Azor. tom. 1. l. 9. cap. 7. q. 2. & 3. Bonac. dist. 3. quest. 1. p. m. 3. Sander. de cultu imag. l. 1. cap. 4. Bellarm. l. 2. de imag. capite 8. Caiet. part. 3. question. 25. art. 1.

<sup>148</sup> Porro vna & eadem adoratione possunt imago, & exemplar adorari. Quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur, & cultus imagini datus transit ad exemplar, quod refert imago, Septima Synod. quæ est Nicæna aliorum. Sic cum Christum D. aliumve Sanctum apprehendimus tanquam in imagine nobis præstatum illi cultu deferimus ita, ut terminus adorationis sit solū prototipus pon imago autē concommittatur se habeat tanquam accides quoddam, & quasi personæ

# Secl. I. De Præcepto I. Recept. Sentent. 10

personæ adorare vřimentum. Quemadmodum si Regem in speculo effulgentem videas, eique ibi reuerentiam exhibeas, vno moto & Regem colis & speciem, aut imaginem Regis, ipsum quidem Regem principaliter, imaginem verò concomitanter & per accidens. Halens. p. 3. q. 30. memb. 3. art. 3. §. 1. Suar. 3. p. tom. 1. d. 54. scđ. 4. assert. 1. Sylui. 3. p. quæst. 25. d. 3. quæst. 5. ex D. Tho. ibi a. 3. & 4.

149  
Reliquiarum  
adoratio.

De Fide est, reliquias absolute esse adorandas, & denotē custodiendas, vt decernitur in Concilio Carthag. Brachar. & Trident. quando publicē exponuntur colenda, & sumus Pontifex, aut Episcopus debitam diligentiam adhibuit, ad inquirendum, num vere sint reliquie Diui Canonizati, illasque approbavit: vel per traditionem, seu diuturnum Ecclesiæ vřum pro approbatis habentur. Vnde reliquiis eadem adoratio tribui potest, quæ personæ, cuius reliquie sunt, tribuitur, & quamvis propter se adorari, ac coli nequeant, cum sint irrationales: possunt tamen coli adorationē respectiua propter excellentiam, & sanctitatem personæ, cuius sunt reliquie. Nomine verò reliquiarum intelligo quidquid ex sanctorum ex hac vita decedentium reliquum mansit, siue sint ipsa corpora, siue carnes, ossa, dentes, capilli vngues, cineres, & pulueres, in quæ conuersa fuerē cadavera. Item vestes, & varia vřensilia quibus superstitēs vři fuerē, vel lintheamina, quæ corpora fuerē inuoluta. Verum ad reliquias priuatim venerandas sufficit priuatum testimonium vnius personæ fide dignæ aut alia probabilis ratio, seu coniectura, quæ sufficienter moueamur ad prudenter indicandum veras reliquias esse. Quia in adoratione, seu cultu priuato minus subest periculum, et si interdum materialis contingat error, dummodo bona fide agatur. Posita enim probabilitate huiusmodi, licet hæcæ reliquias absolute adorare, nam adest moralis certitudo quæ sufficit ad prudenter operandum absque formalis erroris periculo: & quamvis fieri possit vt materialiter erretur, si contingat, veras non esse sancti reliquias: nullum tamen peccatum incurritur. Quia adorans bona fide procedit. Bellarm. l. 2. de relig. c. 1. Sanch. l. 2. sum. c. 43. n. 1. Laym. l. 4. tr. 7. c. 5. n. 5. & 16. Azor. 10. l. 1. c. 8. q. 2. Suar. in 3. p. to 1. d. 55. Valent. 2. 2. d. 6. q. 11. pun. 5. & 6. Mann. 10. 3. qq. Regul. q. 55. art. 1. Bonac. tom. 2. d. 3. q. 1. pun. 4.

150  
Licitum est  
crucem reli-  
quiarum ad  
adorandam  
proponere.

Licitum est Crucem variis reliquiis non approbatis ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere. Quia sic vřus obtinuit, & quia cum Crux in altari collocatur, non reliquie, sed Crux adoranda exponitur: quod verò vnus vel alius reliquias adoret, id est per accidens, & ad priuatum, non ad publicum pertinet cultum. Palau. tom. 2. tract. 8. dist. 1. pun. 6. num. 11. Sanch. l. 2. sum. cap. 43. numer. 17.

151  
Cum reliquie  
ab vřa ad  
altam Dico-  
cesim transfe-  
runtur, quæ  
debet Episcopus  
veritatem  
examinare.

Demum quando reliquie sunt legitime approbate vel Bulla Apostolica vel Episcopi Diocesis à qua in altam transferuntur testimonio: non esse Episcopi Diocesis eas recipientis eam non esse Episcopi veritatem examinare, quæ iam legitime est comprobata, ad eam autem pertinet, periculum facere, num sint hæc reliquie, quæ in literis Apostolicis aut testimonio Episcopi con-

tinentur, vt licentiam impertiat, eas in sua Diocesi publice collocandi. Bonac. tom. 2. d. 3. de adorat. q. 1. pun. 4. n. 6.



## CAPVT XIV.

### De Sacrificio.



151  
SACRIFICIUM proprie est actio, quæ res aliqua sensibilis, per sui mutationem a legitimo ministro offertur Deo in recognitionem eius supremi dominij, & nostre subiectionis. Primò, dicitur Actio, quia omne Sacrificium est oblatio, quæ supremum dominium, & nostram subiectionem testatur: Sed non qualibet oblatio est Sacrificium, sed illa, quæ in re oblata sensibili mutationem patitur. Tum quia Sacrificare, est verbum Græcum idem significans quod mactare, ac perimere. Tum quia hac ratione perfectius suprema potestas significatur, & exactius testatur Deum vitæ, & mortis esse dominum. Tum quia apud Ethnicos omnia sacrificia aliquam recipiebant mutationem. Tum & præcipue, quia in lege naturæ & scripta nulla absque mutatione adorant sacrificia. Nam si viuientia sacrificabantur, vt animalia, id fiebat per occisionem. Si inanimata vt carnes occisorum, thus, sal, & farina munda per combustionem: alia, vt sanguis, vinum, per effusionem. Secundo, debet esse oblatio à legitimo ministro facta, id est à sacerdote: non enim quilibet potest dignitatem sacerdotalem vsurpare. Quia non est cuiuslibet commissæ potestas sacrificandi: nam cum sacrificium sit cultus externus, & publicus quò præcipue Deus colitur, & honoratur debet à ministro publico fieri: alia sacrificij rationem non habebit. Tempore legis naturæ ministri publici, & sacerdotes erant omnes primogeniti, vt multis probat Paterius 10. 1. in Gen. c. ult. Item quilibet pater familias authoritatem quasi Regiam habebat, & ideo sacerdotalem. Lessi. l. 2. c. 18. dub. 2. n. 12. Demum speciali Dei instituto multi compulsi sunt ad sacrificandum, & consequenter sacerdotes fuere constituti, vt Abel, Noë, Iob, Melchisedech, Isaias, Iacob, & alij. Tertio debet fieri Deo talis oblatio. Quia soli vero Deo hic cultus debetur: testatur, inquam, illo Deum esse omnium Dominum, à quo omnia producantur, pendent, & conseruantur: quod alteri, quam Deo haud potest conuenire. Quarto debet fieri in supremi dominij, & nostre ad ipsum subiectionis recognitionem. Quia hic est præcipuus finis, ob quem sacrificia fiunt. Et quia Sacrificium, quod vocabatur Holocaustum in quo res oblata igne absumebatur. hunc specialiter testabatur finem: ideo holocaustum in lege veteri præcipuum erat Sacrificiū. Alia præterea erant sacrificia pro expiatione peccatorum instituta, pro gratiis beneficij accepti gerendis, pro aliis de nouo impetrandis, quibus Sacrificantes implicite saltem testabantur supremum Dei dominium si quidem eo ipso indicabant, solum Deum remittere peccata posse, ac beneficia conferre. D. Th. 2. 2. q. 93. a. 1. Azor. p. 1. l. 9. c. 10. q. 15. & l. 10. c. 17. q. 8. Valent. 2. 1. d. 6. q. 4. pun. 2.

Quia sacrificium, & quæ eius conditio

34 R  
10 r  
IV  
V